

PARS TERTIA

DE REBUS SACRIS

Apud canonistas, *Res sacræ*, seu *ecclesiasticæ*, dicuntur omnia generatim quæ, præter personas et judicia, referuntur ad ordinem supernaturalem. Res sacræ sunt spirituales vel temporales : *Spirituales*, quæ directe respiciunt ad gloriam Dei in ordine supernaturali et ad animarum sanctificationem ; nempe bona supernaturalia quibus concipitur, sustentatur, atque dilatatur vita interior Ecclesiæ : *Temporales*, quæ primario referuntur ad sustentationem corporalem ministrorum Ecclesiæ atque pauperum, aut quibus comparantur quæ cultui divino inseruiunt.

Inter res spirituales reponimus gratiam et diversa dona Spiritus sancti, de quibus non agitur directe in jure canonico ; sacramenta, sacramentalia, indulgentias et suffragia, preces, festorum celebrationem, quibus præsertim gratia cœlestis opere operato in mentibus infunditur, aut a divina misericordia obtinetur ; demum ædificia, vasa sacra et suppellectilem cultui Dei magis immediate dicata, quæ ob connexionem cum donis spiritualibus, et benedictiones quibus consecrantur, ad res spirituales referimus.

Non tractabimus, in tertia parte *Prælectionum canonicarum*, de sacramentis, de sacramentalibus, nec de indulgentiis, quæ sufficienter explanantur in lectionibus theologicis de *re sacramentaria*; sed dicemus 1° De celebratione festorum; 2° de precibus publicis, seu divino officio; 3° de locis sacris, ubi peragitur cultus publicus; 4° tandem de bonis ecclesiasticis temporalibus.

Hæc quanti sint momenti, nemo est qui non advertat; quapropter nullam curam prætermittere debemus, ut, quantum sinunt ratio ac limites nostri instituti, expendamus quas leges Ecclesia constituerit ad providendum necessitatibus cultus publici, ac recto regimini bonorum temporalium, quibus in hunc finem, et simul ad clericorum sustentationem, utitur.

SECTIO I^a

DE FESTORUM CELEBRATIONE.

De festorum celebratione tres præsertim suboriuntur quæstiones: 1^a quæ sit illorum origo, qua auctoritate instituantur et immutari possint; 2^a quonam ordine per anni curriculum dies festos agamus; 3^a demum quid præstare, quidve præcavere debeamus, ut sanctionibus canonicis super hac re obtemperemus¹.

ARTICULUS I. — DE ORIGINE ET OBJECTO FESTORUM.

507. — 1° *Cur festa instituta sint, et quandonam Ecclesia cæperit indicere dies festos?*

I. Festa instituta sunt ad gloriam Dei, ad honorem sanctorum, et ad eruditionem fidelium.

1° Deum quem sensibus intimis, fide, spe et charitate, pie colimus, debemus insuper cultu externo honorare, eique gratias agere. Nec satis habendum est, si illum in suis attributis colere studuerimus, sed etiam oportet venerari mysteria et

¹ Cf. Interpretum juris can. commentaria in titulum IX DE FERIS, lib. II Decretalium. — Thomassin, *Traité des fêtes de l'Eglise*, 1 vol. in-8°. — Gosselin, *Instructions historiques, dogmatiques et morales sur les principales fêtes de l'Eglise*, 3 vol. in-12.

opera in quibus summa illius sanctitas, bonitas et potentia, maxime elucet. Porro, ad hunc cultum externum Deo rependendum quantum referat celebratio festorum, manifestum est.

2^o Multum etiam inserviunt bono spirituali fidelium; festa siquidem habent objectum proximum, quod est res ipsa sancta quam cultu immediate intendimus. Objectum illud est aliquando quidem omnino sensibus impervium ac spirituale, v. g. sanctissima Trinitas, et conceptio immaculata Beatæ Virginis; sæpius vero externum, ut mysteria nativitatis, passionis et resurrectionis Christi, vita sanctorum, etc... Habent insuper *objectum* quod theologi *formale* dicunt, causam nempe, seu rationem qua objectum proximum attenditur. Porro, ex illa consideratione mysteriorum et actibus pietatis quibus ea colere student, maximum certe auxilium fideles percipiunt ad suam eruditionem et ædificationem.

3^o Non minus evidens est festa valde conferre ad gloriam sanctorum. Id argumentis probare supervacaneum videtur.

II. Festivitates religiosæ ab ipsis initiis cultus publici ortum habuere. Vix dubitari potest quin, ante legem Mosaicam, patriarchæ habuerint dies festos ad commemorandum Dei erga se beneficia, cum illos tam sollicitos videamus in erigendo monumenta sui grati animi. Plures festivitates Deus Hebræis concessit, præter Sabbatum, quando ritus publicos sacrificiorum instituit, ut facilius per statutos dies sibi vacarent, ac religiosius officio continerentur. Hæc divina instituta imitari studuit Ecclesia ab exordio, paulo post ascensionem Christi in cælum. Ex tunc enim, Apostoli Diem Dominicum, loco Sabbati Judæorum, summa religione celebrandum sanxerunt, in memoriam resurrectionis Christi ¹. « Non amplius sabbatizantes, sed se-

¹ Dicitur in cap. xx *Actuum Apostolorum*: « Una autem sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem... » Item sanctus Joannes in cap. i *Apocalypsis*: « Fui in spiritu in dominica die... » Unde conjici potest primos fideles consuevisse die dominica convenire ad orationem.

« cundum diem dominicam viventes, in qua et vita nostra « exorta est per ipsum et mortem ipsius, » aiebat S. Ignatius martyr, in epist. ad Magnesianos. Item S. Justinus: « Solis die communiter omnes conventum agimus; quando- « quidem is primus dies est quo Deus tenebris et materia, « quam prius creaverat, versa, mundum effecit, et Jesus « Christus servator noster eo ipso die a mortuis resurrexit. » (Apolog. II.)

Eandem originem tribuimus solemnitatibus Resurrectionis Christi et Pentecostes quas antiquissimi Patres per secundum et tertium sæculum memorant uti constanter observatas; quod et animadvertat S. Augustinus in epist. cxviii: « Illa « autem quæ nec scripta, sed tradita custodimus, quæ qui- « dem toto orbe terrarum observantur, dantur intelligi vel « ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis quorum in Ecclesia « saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, « sicut quod Domini passio, et resurrectio, et ascensio in « cælum, et adventus de cælo Spiritus sancti anniversaria « solemnitate celebrantur. » S. Augustinus nullam in mentionem injicit diei natalis Domini, de quo tamen scriptores iv sæculi locuti sunt, tanquam de festo apud omnes recepto a primæva ætate.

Alias postea solemnitates Ecclesia instituit ad promovendum pietatem fidelium in sacra mysteria Christi, et ad recolendum memoriam sanctorum, imprimis Beatissimæ Virginis Mariæ. Festivitates Apostolorum et martyrum celebratæ sunt a sæculo saltem secundo; anno enim 158, in Ecclesia Smyrnensi sancti martyris Polycarpi memoriam festive admodum celebratam, testatur epistola ad Philomenienses apud Eusebium (lib. IV, cap. xv); quod indicat pridem inter christianos consuetudinem obtinuisse martyrum natales dies celebrandi. Exinde S. Cyprianus hæc clero Carthaginensi commendabat: « Cum confessioni nostræ in carcere et vinculis accedit moriendi « terminus, consummata martyrii gloria est. Dies eorum quibus

« excedunt adnotate ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. » (Epist. vi ad clerum Carth.) Quod autem prioribus temporibus actum est in honorem martyrum, idem fuisse, decursu temporum, versus sæculum iv, observatum pro confessoribus omnes norunt. Plures critici arbitrantur S. Martinum Turonensem fuisse primum ex confessoribus cultu publico honoratum, in Ecclesia latina; quem cultum probavit concilium Turonense ii an. 700. Orientales in eo occidentalibus præverant, siquidem constat ex certis monumentis, eos jam a sæculis præcedentibus diem anniversariam plurium sanctorum confessorum egisse ¹.

Nota. Remittimus ad tractatus theologicos discussionem controversiarum quas hæretici cum catholicis habent de legitimitate cultus sanctorum. Sufficiat hæc proferre ex sancto Augustino quæ omnem dubitandi rationem remouent: « Populus christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum altari assistens, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, Deo offertur qui Martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem et in illos quos imitari possumus, et in illum quo adjuvante possumus. » (*Contra Faustum*, lib. XX, cap. XXI.)

508. — II^o *Quid jure prærequisitum sit, ut celebretur memoria sancti in cultu publico?*

I. Nulla festa institui possunt in honorem servorum Dei, nullusque cultus publicus eisdem reddi debet, antequam

¹ *Devoti*, lib. II, tit. V, § 1, *Annot.* — *Selvaggio, Antiq. christ.*, lib. II, part. II, cap. iv. — *Bened. XIV, de Beatificatione...* lib. I, cap. v.

judicio Ecclesiæ constiterit de illorum sanctitate. Sufficiebat olim auctoritas Episcopi qui hunc honorem, in sua quisque Ecclesia, deferebat iis qui mortem pro causa fidei pertulerant, aut saltem eximio virtutum exemplo emicuerant; et in signum cultus publici erigebatur altare super illorum corpus. Cum vero multum intersit ad integritatem cultus divini, ut circumspicte hac in re agatur, Sancta Sedes pluribus abhinc sæculis sibi reservavit iudicium solemne de sanctitate servorum Dei, deque cultu iis reddendo. Exstat in Corpore juris constitutio Alexandri III, data an. 1170, quæ supponit hanc disciplinam tunc temporis vigentem; sic enim concludit Pontifex occasione cultus indebite soluti alicui defuncto: « Illum ergo non præsumatis de cætero colere: cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ, venerari. » (Cap. *Audivimus*, I, DE RELIQUIIS SANCTORUM, lib. III Decret.)

Ut disciplina constituta servetur, Urbanus VIII prohibuit ne etiam a privatis fiant actus qui ad publicum cultum referantur, vel inducere possint fideles in errorem. Tria præsertim indixit: 1^o ne imagines servorum Dei pingantur cum laureolis, aut splendoribus; neve in altaribus publicis aut privatis, etiam sine hujusmodi insignibus apponantur; (laureolæ beatitudinem, significant; retentio autem imaginis supra altare, est signum venerationis); 2^o ne ad sepulchra servorum Dei accendantur lumina, aut votivæ tabellæ suspendantur; (tabellæ oblatæ custodiendæ sunt in loco ab Ecclesia separato, v. g. in sacrario); 3^o ne edantur, sine approbatione Ordinarii, libri quibus continentur virtutes, revelationes et miracula servorum Dei. Approbatio autem libro concessa, etiam auctoritate apostolica, non vim majorem tribuit narrationibus relative ad processum beatificationis et canonizationis; nec consequenter ullatenus eximit a necessitate probationum ulteriorum. (Const. *Cælestis Jerusalem*, an. 1654.)

Hinc sequitur omittenda non esse in cujuscumque servi

Dei obitu consueta Ecclesiæ officia pro defunctis. Hæc persoluta fuisse constat in funeribus sancti Dominici, sancti Francisci, et aliorum, qui eximia sanctitatis signa dederant.

509. — II. Sancta Sedes non aggreditur causam beatificationis servorum Dei, nisi præcesserit fama de illorum sanctitate, et de illa constiterit per processum juridicum. « Per famam autem sanctitatis, ait Benedictus XIV, intelligitur « communis existimatio de integritate vitæ et de virtutibus, « non utcumque sed per continuatos actus, data occasione, supra « communem modum aliorum proborum, exercitos a servo Dei ; « necnon de miraculis ejus intercessione a Deo obtentis ; ita « ut concepta saltem in uno loco erga eum devotione, a pluribus invocetur, et plurium gravium virorum judicio dignus « existimetur, ut per Sanctam Apostolicam Sedem in album « Beatorum, vel Sanctorum, referatur. » (*De Beatificatione...* lib. II, cap. xxxix.)

Quando sufficienter probata est, certis testimoniis in processu juridico consignatis, fama sanctitatis et miraculorum, Sancta Sedes jubet ut sedulo inquiretur de *non cultu*; scilicet an observatum fuerit decretum Urbani VIII de quo supra. Si cultus publicus redditur servo Dei, contra præscripta hujus constitutionis, res in suspenso manent donec cuncta ad normam juris reducta sint. « Nunc regula viget, ait Benedictus XIV, ut cultus præteritus sententiæ confirmationem non « impediatur, si ante illam sublatus sit, uti contigit in causa sancti « Francisci Salesii. » (Lib. II, cap. xvi.)

Instituitur insuper examen doctrinæ. Scripta quæ reliquerit servus Dei committuntur Sac. Congregationi, et severo examini subduntur, ut appareat num aliquas contineant propositiones contra fidem, vel mores; aut a communi sensu et consuetudine Ecclesiæ alienas. Scopus revisionis est expendere utrum servus Dei aliquid scripserit quod defectum prudentiæ christianæ, aut oppositionem doctrinæ Ecclesiæ, denotet; quapropter quando revisores, peracto examine, concludunt nihil

reperit esse censuræ obnoxium, hæcque sententia approbatur a S. Sede, nihil aliud intellectum volunt, nisi quod scripta servi Dei non obstant quominus procedatur ad beatificationem.

Omnibus rite peractis, fit *introductio causæ* per commissionis signaturam; id est, summus Pontifex, admissa supplicatione sibi exhibita per postulatorem causæ, atque ea subscripta, impertitur Congregationi Rituum facultatem procedendi in causa beatificationis. Vi hujus *signaturæ commissionis*, servus Dei nuncupatur VENERABILIS.

510. — III. Signata commissione, novi instituuntur processus auctoritate Congregationis Rituum, qui plerumque delegantur tribus Episcopis. Ante omnia juridice inquiretur de fama sanctitatis et de non cultu. Deinde proceditur: 1° ad examen virtutum; an venerabiles servi Dei virtutes theologales et morales in gradu heroico exercuerint; quod primum fundamentum est sanctitatis: 2° ad examen martyrii, si de martyribus agatur; an mortem violentam a persecutore, pro causa religionis, pertulerint: 3° ad examen miraculorum; utrum talis sint naturæ, atque in hisce circumstantiis patrata, ut nulli alteri causæ adscribi possint quam veræ sanctitati, a Deo his signis confirmatæ. Plura miracula requiruntur ad beatificationem, quod concludere licet ex praxi constanti S. Sedis. Benedictus XIV in causa sanctæ J. Franciscæ Fremiot de Chantal, « ad ejus beatificationem non esse deveniendum censuit, antequam miracula « omnino quatuor probentur ex testibus de visu, atque approbentur. » (Lib. IV, cap. vi.) Nulla tamen lege præfinitum fuit quot numero esse debeant miracula.

Quando cuncta feliciter fuerunt expleta nullaque amplius obstat difficultas, sacra Congregatio coram Pontifice deliberat num ad beatificationem procedi tuto valeat. Pontifex preces fieri mandat, ac tandem re apud se mature perpensa, judicium suum profert, et statuit diem qua celebrabitur solemnitas beatificationis, quæ, ex decreto Alexandri VII, fit primo in

Ecclesia Vaticana. Ex tunc permittitur ut in locis determinatis cultus publicus reddatur Beato, cum quibusdam restrictionibus.

Igitur BEATIFICATIO est decretum, quo permittitur ut servus Dei cultu publico honoretur in aliqua provincia. Solemnitas autem consistit in lectione hujus decreti, in detectione imaginum servi Dei, in recitatione collectæ, thuris oblatione imagini Beati, et celebratione Missæ.

Cæterum, facultas cultum publicum agendi quæ datur decreto beatificationis, sicut limitatur ad locum, ita etiam ad modum; non enim eodem modo beatificati et canonizati coluntur. Nisi expressum indultum obtentum fuerit a Sancta Sede, nomen Beati non inseritur in martyrologio communi, nec in litaniiis Sanctorum: insuper Beatus non potest assumi in patronum titularem, nec festum illius celebratur cum octava. Beatorum reliquiæ non deferuntur in processionibus, nec super altare ponuntur: illorum imagines depingi possunt cum radiis, at non cum diademate, seu circulo... Hæc variis locis exponit Benedictus XIV, et accurate servari præcepit Congregatio Rituum, juxta decretum approbatum ab Alexandro VII, anno 1660¹.

511. — IV. A Beatificatione fit transitus ad Canonizationem, per seriem processuum quam inutile foret exponere. Notare sufficiat postulatorem causæ expetere signaturam re assumptionis, quando exploratum habent nova miracula esse patrata a Beato. Nova quippe miracula intercedere necesse est, quibus manifestetur Dei voluntas; ut multis exemplis monstratur in libro I^o, cap. xxx, operis Bened. XIV.

Duobus saltem miraculis rite probatis, deliberatio fit in Congregatione, an tuto procedi valeat ad Canonizationem. S. Pontifex plura consistoria habet: unum secretum cui soli Cardinales assistunt; aliud semipublicum ad quod, præter Cardinales, admittuntur Patriarchæ et Episcopi; alterum magis solemne, in quo dies ad canonizationem determinatur.

¹ Decretum refert Reiffenstuel, lib. III, tit. XLV, DE RELIQUIIS SS., n° 47.

Die præfixa, S. Pontifex accedit cum magno apparatu ad sacram basilicam: ibi post novas iteratasque expostulationes, multis persolutis orationibus, invocato Spiritu sancto, demum auctoritate Dei omnipotentis, apostolorum Petri et Pauli, decernit ac definit N. sanctum esse, sanctorum catalogo adscribendum, et ab universali Ecclesia colendum. Expediuntur postea Constitutio, seu Bulla pontificia, directa ad omnem Ecclesiam.

CANONIZATIO igitur est sententia definitiva, qua decernitur aliquem in album Sanctorum esse deferendum, et eo titulo colendum publice in universa Ecclesia¹.

Quæ sit auctoritas decretorum Sanctæ Sedis, tum circa beatificationem, tum circa canonizationem, examinant theologi, ad quos remittimus. Hæc solum notamus: 1^o Seposita etiam divini Spiritus supernaturali assistentia, causam tanta cum prudentia tractari, ut iudicium prolatum sit moraliter certum; 2^o sententiam de beatificatione, cum non sit definitiva ad universalem Ecclesiam prolata, non haberi communius infallibilem, quamvis impugnari non posset sine temeritate et presumptionis peccato; 3^o sententiam canonizationis admitti infallibilem ab omnibus qui arbitrantur Papam esse infallibilem in decretis fidei et disciplinæ generalis. Ab omnibus autem catholicis, nostro sensu, admittenda est infallibilitas iudicii solemnem de canonizatione prolata a Sancta Apostolica Sede. Enimvero, nisi infallibiliter constaret de sanctitate alicujus servi Dei, universalis Ecclesia in errorem induci posset in cultu publico; quod supponere non sinit sensus catholicus: at vero nisi Sancta Sedes potiatur privilegio infallibilitatis in hoc causarum genere, nulla alia erit infallibilitas activa; cum hujusmodi causæ nusquam, aut saltem non nisi in rarissimis circumstantiis, ad Ecce-

¹ Dum servus Dei proponitur venerationi fidelium simul declaratur sub quo titulo debeat honorari, et præscribitur officium. Sunt Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines... Presbyteri non coluntur ritu speciali, sed titulo *Confessorum non pontificum*... *Confessores* olim dicebantur qui fidem christianam confessi fuerant coram persecutore; pluribus abhinc sæculis titulus ille datur omnibus justis, seu Episcopis, seu Presbyteris, seu laicis.

siam universam deferri possint. Ecclesia universalis adhæret iudicio Sanctæ Sedis, at ipsa non iudicat, nec iudicare valet; siquidem non habet instrumenta probationum, nullum peragit examen causæ; nec virtutes, nec miracula, nec alia ad preferendam sententiam prærequisita, perpendit.

512. — III^o *Quæ sint festa jure communi præcepta; utrum Episcopi possint nova suis diœcesanis indicere, aut instituta imminuere?*

I. Quæ sint festa per orbem celebranda determinavit atque decrevit Urbanus VIII per Constitutionem *Universa*, datam an. 1642, in qua legimus: « ... Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infra scriptos duntaxat dies pro festis
« ex præcepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit
« consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur:
« Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Jesu
« Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus
« pariter sequentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis sanctæ Crucis, necnon
« festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et
« Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli,
« S. Andrææ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et
« Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ,
« et S. Matthiæ, Christi Domini apostolorum; item S. Stephani protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii martyris, S. Sylvestri papæ et confessoris, S. Joseph etiam confessoris, et
« S. Annæ Deiparæ respectivè sponsi, ac genitricis, solemnitatis
« Omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus Patronis
« in quocumque regno sive provincia et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago ubi hos
« patronos haberi et venerari contigerit. » Aliud postea festum de præcepto additum fuit memoratis ab Urbano VIII, nempe

festum Immaculatæ Conceptionis, quod longe ante Constitutionem Urbani celebrabatur.

Sub successoribus Urbani VIII haud semel actum est de imminutione dierum festorum de quo videas Litteras Apostolicas Benedicti XIV *Non multi*, die 14 nov. 1748; et S. Sedes multa indulgit variis constitutionibus sub eo præsertim Pontifice et sub Pio VI, ut provideretur difficultatibus temporum. Quantum vero possibilitas data est, retineri voluit decretum Urbani VIII ita temperatum ut remaneret pro diebus in eo decreto expressis obligatio missam audiendi, licet concederetur fidelibus facultas vacandi operibus servilibus, feria III^a hebdomadis Paschæ et Pentecostes, diebus festis Apostolorum, excepto festo SS. Petri et Pauli, festis item S. Annæ, S. Laurentii, SS. Innocentium, S. Sylvestri, S. Michaelis, S. Joseph, quemadmodum reperitur in multis Indultis datis a Pio VI.

513. — II. Jure communi Episcopi potuerunt olim festa instituere, in sua quisque diœcesi servanda; et reipsa plures festivitates instituerunt de præcepto servandas. (Cap. *Conquestus*, 5, DE FERIS.) Concilium Tridentinum supponit hanc potestatem ipsis competere, præcipiendo ut « Dies festi quos
« in diœcesi sua servandos Episcopus præceperit ab exemptis
« omnibus, etiam regularibus, serventur. » Sess. xxv, cap. XII, *de Regularibus*.

Utrum eadem facultate hactenus polleant dubium est; siquidem Urbanus VIII (Constitutione mox citata), indictis diebus festivis ex præcepto colendis, decernit ac declarat christi fideles nequaquam deinceps teneri ad servandum ex præcepto reliquos dies quos hucusque sive in universali Ecclesia, sive in quavis natione, aut regno, provincia, diœcesi, aut loco quocumque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione tantum festivos celebraverant. Quo ad futurum tempus, hæc subiungit: « Ne dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum
« facilitate, aut populorum importunitate deinceps multiplicari
« contingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad

« ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de cætero
 « perpetuis temporibus ab indictione sub præcepto novorum
 « festorum absterneant. » Inde plures deducunt sublata omnino
 esse Episcopis potestatem quam antea habebant nova festa
 instituendi; certum quippe est, ex prænaratis, Urbanum VIII
 suam Bullam in eum finem condidisse ut modum imponeret
 nimio festorum numero, qui pluribus querimoniis ex parte
 Episcoporum, et etiam pauperum, locum dederat. Nihilomi-
 nus tamen, cum Pontifex eadem Constitutione moneat tantum-
 modo *ut studeant abstinere* ab indictione festorum, id solum
 sequitur eos magna uti debere prudentia in hoc negotiorum
 genere. Hanc interpretationem firmat auctoritas Benedicti XIV,
 qui in libro IV, part. II, cap. xv, *de Beatificatione*, duo statuit:
 « Episcopus in sua diocesi posse de consensu cleri et populi
 « festum instituere de præcepto... Non expedire, nisi ad sum-
 « mum gravissimæ urgeant circumstantiæ, ut ab Ordinariis in
 « propriis diocesis nova festa de præcepto instituatur. »

In Galliis nihil quidem obstat quominus Episcopi aliquas
 festivitates ex devotione celebrandas indicent, modo nihil immu-
 tetur in rubricis; at nullas possunt instituere celebrandas de
 præcepto, imposita nimirum obligatione Missam audiendi et ab
 operibus servilibus abstinendi. Obstant concordata quibus Sancta
 Sedes ad instantiam principis sæcularis dies festos, præter Do-
 minicas, ad quatuor reduxit, festa scilicet Nativitatis Domini,
 Ascensionis, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, et solemnitatis
 Omnium Sanctorum.

514. — III. Jus imminuendi numerum festorum connecti-
 tur juri illa instituendi, iisdemque principiis determinatur.
 Episcopi non possunt imminuere festa quæ jure communi ob-
 servantur: causa reservatur Sanctæ Sedi, ad quam recursum
 habuere omnes principes qui præsentis ætate, et in sæculis
 proxime elapsis, reductionem festorum expetierunt.

ARTICULUS II. — DE ORDINE QUO FESTA CELEBRANTUR PER DECUR-
 SUM ANNI.

515. — I^o *Undenam oriatur distinctio dierum festorum
 immobilium et mobilium?*

Dies festi *immobiles* dicuntur qui singulis annis eodem die
 recurrente celebrantur, v. g.: Natalis Domini, Circumcisio,
 Epiphania, festa B. Virginis, Apostolorum et aliorum Sancto-
 rum, quorum solemnitas quotannis refertur ad diem qua obie-
 runt, et quæ est vere dies natalis servorum Dei: hac quippe
 die novam ac immarcescibilem vitam assecuti sunt.

Dies festi *mobiles* sunt quorum celebratio pendet a solem-
 nitate Paschali, ut v. g.: Initium jejunii quadragesimalis, Ascen-
 sio Domini, Pentecostes, SS. Trinitas, Corpus Christi... Porro,
 lex est antiquissima Ecclesiæ, quæ sensim ubique prævaluit, Pas-
 cha celebrari die dominica quæ, post æquinoctium vernum,
 proxime sequitur plenilunium martii, non autem ipsa XIV^a die
 lunæ; quapropter Pascha christifidelium nunquam convenit cum
 Paschate Judæorum.

Hanc legem consuetudine fidelium inductam, secundum
 traditiones apostolicas, firmavit auctoritas SS. Pontificum et
 decretum concilii Nicæni contra Quartodecimanos, qui cum
 definitionibus datis obsistere ausi fuissent, inter hæreticos et
 schismaticos habiti sunt. Catholici, etsi omnes consentirent in
 unum post legem indictam a concilio Nicæno, ut ubique cele-
 braretur Pascha die dominica, non concordaverunt secum in
 determinanda die; unde venit quod alii una hebdomada, vel
 etiam uno mense citius quam alii, festum agerent. Ratio discrimi-
 nis fuit quod non uterentur omnes eodem cyclo. Concilium
 Nicænum, ut varietatibus finis imponeret, demandaverat
 Episcopo Alexandrino curam admonendi cæteros Episcopos de
 die dominica qua festum Paschale celebrandum foret. Sed de-